



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De B. Jacobo Alemanno C. Ordinis s. Dominici Bononiæ In Ditione Pontificia
Commentarius Prævius Beati memoria in Martyrologiis: cultus: Vita
edenda: obitus tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

A. ROTHERO.

bb Collegiata et hæc est Colonia canonico-
rum ecclesia.

cc Insignis est Colonia Agrippinæ Ordinis
S. Benedicti abbatia, in qua seu hujus ecclesia
S. Bruno S. Eliphii reliquias, e civitate Tul-
lensi a sese, ut supra docui, Coloniam delatas,
locarat.

dd Id est, sub onere ei, qui prædium con-
cessit, hujus usum fructum tota vita sua per-
mittendi.

ee S. Mariæ, S. Cæcilie et SS. Ursulæ ejus-
que Sociarum sunt tres Coloniae, quæ canoni-
cos et canonicas nobiles habent, ecclesie in-
signes.

ff Id est, vasa seu pelves.

gg Leibnitiæ legit cappæ, sed codici nostro
consonat Miræus.

hh Id est, collegiatae Sanctensi ecclesie,
Sancti hujus, de quo in Opere nostro ad diem
præcedentem egimus, nomine insignita.

ii Susatum, vulgo Zoest, electoratus Colo-
niensis oppidum, collegiatam habet canonico-
rum ecclesiam, a S. Brunone et fundatam et
S. Patrocli, a quo propterea nuncupatur, re-
liquiis ditatam. Commentarium prævium §
xvi videsis.

EPITAPHIUM a

E Surii et Leibnitiæ editionibus
inter se collatis.

Fundite corda preces, lachrymosas mittite
voces :

Ecce Pater patriæ conditus in silice.

Regia progenies, terras memoranda per D
omnes,

Bruno pacificus, vir bonus atque pius.

Archos antistes, cui clara b Colonia sedes,
Visus erat cunctis charus ubique bonis.

Offendit tenebras lux vivacissima tetras,

Invida lingua tacet, laus modo vera placet.

Non fuit hic mundus tam raro munere di-
gnus :

Raptus ab hoc nævo c, jam fruitur Do-
mino.

Idus Octobris quinto præsul duodennis d
Vitæ concessit, spes comes alma fuit.

ANNOTATA.

a Id apud Surium Sancti nostri Vitæ an-
nectitur; hinc factum, ut Historie Litterarie
Francie scriptores monumentum illud, quod
veluti longe infra S. Brunonis merita non abs-
que causa carpunt, jam inde a tempore, quo
Rotgerus Sancti Vitam scripsit, memorie ejus E
positum fuisse existimarint; verum cum Rot-
geri lucubratiō nec prout a Leibnitio est edita,
nec prout in codice nostro exstat, Epitaphium
illud sibi habeat annexum, id Sancti nostri
apud Surium Vitæ ab eodem, qui in hanc SS.
Evergisili et Patrocli Translationis Historiam
intulit, interpolatore anonymo fuisse adje-
ctum, verosimile apparet, facileque proinde
factum esse potest, ut forsitan non prius, quam
cum quinquaginta amplius anni post Sancti
obitum essent elapsi, memorie ejus fuerit po-
situm.

b Ita Leibnitiæ; sed SURIUS habet: Data.

c Tam Leibnitiæ, quam SURIUS, habet nævo,
sed præstare, ut ponatur nævo, cum Leibnitio
existimo.

d SURIUS legit Duodenus, sed Duodennis hic
scribere cum Leibnitio libuit.

DE B. JACOBO ALEMANNO C.

ORDINIS S. DOMINICI

BONONIÆ IN DITIONE PONTIFICIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. F.

Beati memoria in Martyrologiis: cultus: Vita edenda: obitus tempus.

ANNO MCDXCI.
Bononie Bea-
tus, de quo me-
moriam

Bononiæ, quæ ampla et pulchra civitas est
Archiepiscopalis et cognominis provincie
in ditione Pontificia caput, in conventu
Fratrum Prædicatorum seculi xv anno 91 san-
cte obiit, honorificeque adhuc asservatus colit-
tur hoc die B. Jacobus, ejusdem Ordinis Prædi-
catorum frater, ut vocant, laicus, a patria sua
Alemannus dictus, ut qui natus est Ulmæ, quæ
ampla, probe culta et munita civitas est Germa-
niæ, in Sueviæ circulo, ad Danubium sita. Ex
martyrologis, si Dominicanos exceperis, tres
solum ipsius memoriam celebrantes reperi,

quos inter primum locum tenet Molanus, cujus
verba hic accipe: Hoc die, id est xi Octobris,
obiit B. Jacobus Alemannus Ordinis Prædicatorum.
Hunc sequitur Philippus Ferrarius in
Catalogo generali Sanctorum, qui non sunt in
Romano Martyrologio, Beati memoriam eo-
dem die paucis sic celebrans: Bononiæ B. Jaco-
bi Alemanni Ord. Prædicatorum. Tertio loco
laudandus est Castellanus, qui in suo Univer-
sali sanctorum Martyrologio eodem die, pau-
cis additis, illum sic commemorat: Beati Ja-
cobi Alemanni, qui, vitrearum laminarum pi-
ctor,

A ctor, et Ordinis Prædicatorum frater laicus fuit.

in paucis Mrll.

2 In Martyrologio Ordinis Prædicatorum, auctoritate Apostolica approbato et Venetiis anno 1582 excuso, Beati memoria non celebratur; at in Indiculo Beatorum laudati Ordinis ad dicti Martyrologii calcem pag. 99 de illo sequentia leguntur: F. Jacobus Alemannus conversus Ulmensis, Bononiæ sepultus, sanctitatis et signorum nomine ad hodiernum usque diem magnopere celebratur. Ad eundem Octobris diem Beati festum celebrandum annuntiant Dominicus Maria Marchesius in Sacro Diario Dominicano, et Jacobus Lafonus in Anno Dominicano, ambo Ordinis Prædicatorum, ipsiusque res gestas, ex infra laudandis scriptoribus depromptas, exhibent. Caroli Sigonii de B. Jacobi obitu et sepultura verba huc transcribere lubet, quod ad ipsius cultum probandum haud parum conducant: libro IV de episcopis Bononiensibus sic loquitur: Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo F. Jacobus Alemannus inter fratres Prædicatorum conversus, cum multa in vita eximia sanctitatis argumenta dedisset, ea mortuus signis aliquot editis confirmavit. Cadaver ejus per diem non ingratum universo confluenti populo spectaculum fuit. Post autem cum ingens quotidie ad locum, ubi humatum intra monasterium fuerat, virorum mulierumque concursatio fieret, Fratres rei indignitate permoti post diem octavum, permittente episcopo (nondum enim ad metropolitanæ dignitatis fastigium hæc ecclesia erecta erat, quod Incarnati Verba anno 1582 primum contigit) illud in ecclesiam retulerunt, atque in delubro divi Thomæ reposuerunt, ubi nunc quoque Beatus quiescit.

cultu ex publica sepulchri veneratione,

3 Quamquam non invenio, B. Jacobum Ecclesiastico Officio unquam fuisse honoratum, paucique, ut jam diximus, si Dominicanos exceperis, ipsius memoriam celebrant martyrologi, tamen ob sequentes rationes, quæ Beati cultum qualemcumque satis probant, ipsi locum in Opere nostro tribuendum censui. Primo enim, præter recensitos jam martyrologos, omnes qui de Beato tractarunt, scriptores ipsi Beati titulum adscribunt; secundo magnus populi, ad ipsius sepulchrum, ad quod patres Ordinis S. Dominici, annuente, ut num. præced. est videre, Bononiensi episcopo, expeditio-rem etiam viam adaperuerunt, suppliciter accedentis, factus est concursus; tertio plura votiva donaria Beato, ut refert Vita hic edenda, in gratiarum actionem de beneficiis, ipsius patrocinio concessis, fuerunt oblata. Quæ omnia ac præcipue postremum, cultu quodam publico honoratum certo fuisse B. Jacobum, argumento sunt. Nec est, cur illa tabellarum votivarum publica ad Beati tumulum appensio in dubium revocetur, siquidem ipsemet, qui illam refert, biographus, expressis verbis declarat, se in beneficiis, beati patrocinio obtenti gratiam, votiva donaria ad ipsius tumulum condecorandum, recepisse: sic enim num. 37 ad calcem Vitæ statim edendæ habet: Mediolani cum quidam nobilis civis, gravi detentus infirmitate, audiret, B. Jacobum Bononiæ tam mirifica operari, voto quodam emisso, ad invocationem ejusdem plane convaluit, qui duos aureos per R. P. F. Vinc. de Castro-Novo, tunc Priorem conventus S. Mariæ Gratiarum,

mibi ad sepulchrum B. Jacobi exornandum Bononiæ transmittendos obtulit. Plura præterea sunt, quæ illam tabellarum votivarum appensionem confirmant, testimonia; at illa hic lectori proponere necesse non duai, cum illa in edenda Vita facile sit reperturus.

4 At hæc cultus qualiscumque publici indicia, ut ipsi locum in Opere nostro daremus, haud sufficerent, si centum annis velustiora non essent Decreto ab Urbano VIII, anno 1634 lato, quo hic Pontifex ad tempus centum annorum metam excedens restrinxit immemorabilem temporis cursum, quo qui cælitum honoribus fuerant gavisi, hisce adhuc officii ut Sanctos seu Beatos posse, suo anni 1625 de Sanctorum veneratione, hominibus, qui, quamvis cum sanctitatis fama mortui, nondum tamen Sanctorum Beatorumve Albo a Sede Apostolica fuissent adscripti, haud tribuenda, Decreto declararat. Porro fuisse B. Jacobum centum amplius annis ante supra memoratum, quod anno 1634, imo et aliud, quod anno 1625 Urbanus VIII tulit, Decretum cultu, Sanctis proprio, gavisum, vel ex eo liquet, quod miracula, quibus permoti mortales Beatum nostrum cælitum honoribus prosequi ceperunt, seculo xv adhuc currente, imo ipso met anno 1491, quo ille mortalem vitam cum immortalis commutavit, patrata fuisse manifestum fiat ex iis, quæ numeris 29, 36 et 39 Vitæ hic edendæ biographus Beato synchronus refert. Cum hæc autem sic habeant, nec quidquam Jacobi cultum, postquam sec. xv fuisset inchoatus, fuisse aliquamdiu ante mox dicta Urbani decretata interruptum seu intermissum, suadeat, non fuit sane, cur eum Beatis accenseri ac ut talem Opere nostro inter alios præsentis dici Cælicolas inseri haud posse, arbitrarer.

5 Hæc jam de ipsius cultu dicta sufficiant; ad scriptores, qui res ad Beatum spectantes calamo exceperunt, sermonem converto. Leander Albertus seu Alberti, qui, teste Echardo in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum, ejusdem Ordinis habitum anno 1495, quo tempore Beatus noster et 4 annis jam obierat, Bononiæ induit, libro 6, pag. 268 de Viris illustribus sui Ordinis B. Jacobi biographos sequentibus verbis laudat: Ambrosius Soncinus vir diligentissimus, hac tempestate nostra, id est anno 1517, ætate gravis floret. Hic enim optimus est vitrearum concinnator, prout videri potest in pluribus cœnobiis Italiæ, ita ut in ea arte neminem habeat superiorem, nec litterarum expers est. Edidit vernaculo sermone Vitæ beati Jacobi Alemanni, pluribus capitibus distinctam. Ex qua Sylvester Prierias vir peritissimus, prout in quarto libro ostendimus, Isidorus Mediolanensis, vir sane in scribendo elegans, et postremo Jo. Antonius Flaminus orator clarissimus suas Latinas deduxere. His Leandri Alberti verbis Echardus citato libro ad annum 1517, pag. 35 quædam addit, quæ fratrem Ambrosinum Beato synchronum et in ipsum gratum fuisse denotant: sub beato Jacobo Alemanno, inquit, vitrearum laminarum pingepdarum insigni artifice tirocinium artis posuerat, proptereaque magistro anno mccccxci, quinto Idus Octobris, ætatis lxxxiv mortuo, ne ejus christianæ ac religiosæ virtutes, quarum ille in primis conscius erat, e memoria elaberentur,

AUCTORE J. B. F.

quæ satis vetusta est, probato gaudet.

Ipsius Vita, quæ a F. Ambrosino de Soncino, Beato

AUCTOR
J. B. F.

rentur, gratitudinis ergo scripsit Vitam B. Jacobi, *Leander Albertus Descriptione Italiae vers. Kyriand. pag. 627 de eodem Ambrosino sic loquitur*: Hi omnes ornare Soncinum et memoria nostra florere cum Ambrosino Ord. Prædicat. converso, tam bono ac sancto Viro, quam summo fenestrarum vitrearum artifice, qui licet conversus esset, tamen B. Jacobi ex Alemania Vitam composuit, cujus ipse discipulus fuerat. *Hæc jam sufficienter probant, laudatum a Leandro biographum res, ad B. Jacobum, cui is discipulus arctissimis amicitiae vinculis, ut ex Vita edenda patebit, conjunctus fuit, spectantes, habere potuisse optime perspectas, ac proin non esse, cur ipsi, quem narrare a vero aliena data opera voluisse, nihil etiam suadet, fides adhibenda haud sit.*

synchrono,
composita est
et ab Isidoro
Mediolanensi

6 *Laudatam fratris Ambrosini lucubrationem Italicam, de qua hic Albertus loquitur, hucusque non reperi, at illa, Latinitate ab Isidoro Mediolanensi donata, in suppellectili nostra litteraria asseruatur, prout propria Papebrochii nostri manu descripta est ex F. Ambrosii (ut præmittitur) Taegii de Insigniis Ord. Prædicat. lib. 3 Dist. 7. in Tomo sig. N. F. 160. Præfert hæc Prologos duos diversos, in quorum primo, qui Taegii labor est, laudatæ lucubrationis auctor F. Ambrosinus de Soncino, Latinusque interpres Isidorus Mediolanensis his verbis designantur*: Hujus (B. Jacobi) Vitam virtutibus plenam F. Ambrosinus de Soncino conversus Ord. Præd. vernacula lingua composuit, quam postremo venerandus P. F. Isidorus Mediolanensis in Latinam linguam transtulit. *In altero vero ipse auctor, ut fieri solet, lectorem de dicendis præmonet. Sylvester Prierias inter scriptores, qui F. Ambrosini opera in Beati Actis concinnandis usi sunt, primo loco a Leandro Alberto supra laudatus eodem fere tempore, quo Isidorus et Flaminus, teste eodem Leandro, Opus suum posteritati tradiderunt, Beati Vitam scripsit; etsi autem lucubratio isthæc mihi ad manum non sit, suspicor tamen, in illa vel nulla vel pauca de eodem legi præter ea, quæ et ab Isidoro, de quo mox adhuc sermo recurret, et a Jo. Antonio Flaminio, cujus lucubrationem amplissimæ suæ Sanctorum collectioni hodie Surius, et Leander lib. 6 de Viris illustribus Ord. Prædic. inseruit, litteris sunt mandata.*

Latinitate donata, hic datur.

7 *Isidorus Mediolanensis, ut supra citato loco Ambrosius Taegius expressis verbis declarat, Beati Vitam non composuit, sed F. Ambrosini de eodem lucubrationem, Latine dumtaxat a se redditam, posteris transmisit, et, ut ex hic edendis videre est, primigenium auctoris textum incompto stylo lectori legendum proponit, qui alias, ut citato jam loco Leander Albertus refert, opera sua sollicitissima cura polire solebat. Inde fit, ut fides et auctoritas, quas F. Ambrosini de Soncino Opus, si adhuc reperiatur, meretur, Isidori Mediolanensis Latina interpretatione nullo modo sint attenuatæ. Beati Vita, quam J. Antonius Flaminus posteritati tradidit, Præfatione caret, estque elegantiori compliorique stylo scripta; in illa de factis quibusdam testimonia ab auctore allegata frustra quæsieris, quod tamen apud Isidorum Mediolanensem plus vice simplici est invenire, unde conjicio laudato Flaminio in*

adornandis Beati Gestis aliud exemplar præluxisse, ex eodem quidem, ut puto, fonte depromptum; at dissimile illi, quod Isidorus Mediolanensis Latinitate donavit. Ceterum etsi cum Flaminio Isidorus haudquam in die, quo, ut mox videbimus, Beatum obiisse ait, conveniat, in factis tamen, quæ de eo narrat, res secus habuit, ejusque hactenus, quod sciam ineditum, Taegiique Chronico insertum Opus hic edemus, factaque hujus cum altero, quod Flaminus elucubravit, collatione, lectorem de biographorum inter se discrepantiâ, ubi operæ pretium erit, in Annotatis monebimus.

8 *De anno, quo B. Jacobus æternam in cælis virtutum mercedem receperit, quotquot ipsius res gestas ad sempiternam memoriam propagare allaborarunt scriptores, satis conveniunt, idque reparatæ Salutis anno 1491 contigisse constanter referunt. At in die emortuali assignando illis nullo modo assentitur Vitæ statim edendæ auctor, qui ipsum die 12 mensis Octobris, illi vero XI ejusdem mensis ex hac vita migrasse scribunt. Fuit autem, inquit ille, transitus ejus die Mercurii circa quintam noctis horam (Italicam) 12 mensis Octobris anno MCCCXCI. Quo anno, cum littera B esset Dominicalis, dies mensis Octobris duodecima in feriam quartam seu Mercurii incidebat. Cum jam Papebrochii nostri, qui hanc Vitam ex Taegii Chronico descripsit, sedulitas omnem oscitationis suspicionem tollat, et Ambro. Taegius Beati obitus diem ignorasse non videatur, siquidem sex circiter annis, ut habet Echardus, nempe anno 1485, antequam ille e vivis eriperetur, Ordinis Prædicatorum habitum induerat, dies hic duodecimus tuto retineri posse videtur. Nec est, quod lector miretur, omnes scriptores, contradicente uno Isidoro Mediolanensi seu potius F. Ambrosino, diem undecimam signasse; cum enim Flaminii lucubrationem, uti hanc cum aliorum lucubrationibus conferenti patescet, sibi prælucentem omnes habuerint, hosce in eundem, in quem ille, Sancti obitus XI Octobris die signando, est prolapsus, errorem incidisse, mirandum non est. Quamquam vero B Jacobus 12 Octobris die e vivis excesserit; tamen quod hodie Bononiæ coli a martyrologis referatur, hac die etiam de ipsius rebus gestis tractare statuimus.*

Obiit anno
1491, 12 Octobris.

A

VITA

Auctore F. Ambrosino de Soncino Ord. Prædicat.

EX ITALICO SERMONE IN LATINUM VERSA PER P. ISIDORUM MEDIOLANENSEM EJUSD. ORD.

Ex Fr. Ambrosii Taegii de Insignis Ord. Prædicat. lib. 3, Dist. 7, tom. sign. N. fol 160.

PRÆFATIO

B

AMBROSII TAEGII.

Non solum de fratribus clericis, sed etiam illiteratis conversis hic Ordo decoratus fuit, ut merito dicatur illud Augustini verbum: Surgunt indocti et rapiunt cælum. Et hujusmodi fratre laici in Ordine plures fuerunt, qui obedientia prompti, oratione devoti, labore diligentes, caritates ferventes in vita et morte miraculis claruerunt; haud dubium fidelium laborum suorum mercedem in cælis sempiternam recipientes. Aliquorum autem præclara gesta, prout Deus dederit, enarrabimus ad præsentium et futurorum profectum spiritualem et exemplum bene vivendi; in primis præmittere libet Vitam B. Jacobi de Alemannia viri sanctissimi, qui Bononia miraculis coruscans sepultus jacet in ecclesia B. Dominici: hujus Vitam virtutibus plenam Ambrosinus de Soncino, conversus Ord. Prædicatorum, vernacula lingua composuit, quam postremo venerandus P. Fr. Isidorus Mediolanensis in Latinam linguam transtulit: cui tamen Vitæ tale præmisit Fr. Ambrosinus Proemium.

PROCEMIUM

FR. AMBROSINI.

Biographus rationem, ob quam scribit, indicat.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, etsi hæc Apostoli verba de divina Scriptura principaliter verificentur, extendi tamen possunt ad opera quælibet, a doctoribus sanctis edita, quæ in ædificationem fidelium veluti Sanctorum præclarissima gesta existunt. Possunt itidem verba ante dicta ad hujus devotissimi viri B. Jacobi dicta factaque extendi; exemplar etenim continentiae, humilitatis, patientiæ, obedientiæ atque morum omnium fuit. Quis tantæ facultati vir existat, qui beati hujus Viri virtutes sufficienti sermone

disserat. Tantum sibi severitatis assumpserat ob carnem domandam mentisque servandam puritatem, ut vigiliis, orationibus, jejuniisque mirum in modum insisteret. Diem impendebat activis operibus, nocte in sui Conditoris amore exercebatur. Sæpissime hunc Servum Dei antiquus hostis insecutus est, brutorum variis imaginibus ipsum detertere moliens, sæpius illum lumen quoddam divinum, dum oraret, circumdabat, quod puritatis suæ indicium fuisse creditur. Nunquam post sanctæ religionis assumptum habitum mortalis criminis sensit contagium, quemadmodum veridica assertione is, qui generalem ejus confessionem audivit, protestatus est. Mirabilia enim Salvator noster operatus est Sancti hujus meritis, quem D. Hieronymus, si temporibus ejus extitisset, non dubito, quin laudibus extulisset, ut multos sanctorum patrum digno sermone prosecutus est. Nec minus in Vitis FFrum. hujus gesta Mr. Humbertus annotasset, quo nos tantis instructi documentis facilius ad æterni Redemptoris faciem perpetuo videndam admitti valeamus.

A. Fr. Ambrosino de Soncino.

E

CAPUT I

Beati patria et parentes: iter Romanum: Alphonso regi militat: militiæ valedicit et cuidam nobili famulatur: tandem S. Dominici institutum amplectitur.

Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est a. Hæc verba, quæ de Moyse scribuntur, merito huic B. Jacobo applicari possunt; fuit enim a Deo dilectus, cujus gratia tam mirifica operatus est, fuit etiam ab hominibus usque adeo dilectus, ut ejus cogniti convivere illi ac conversari semper cuperent*. Hic igitur Beatus, ut mihi aliquando interroganti ipse humiliter respondit, natus est in Ulma b, oppido Alemanniæ, patre Theodorico, oppidi illius nobili mercatore atque operibus misericordiæ nihilominus dedito, anno Dominicæ Incarnationis mcccovii, Gregorio XII pontificatum tenente: mater ejus, pudica multorum filiorum procreatrix, secundum hunc in ordine filiorum produxit. Theodoricus ergo velut aquila super pullos suos volitans et eos ad volandum provocans, sanctis eos imbuebat moribus, sicque actum est, ut B. Jacobus juxta viam suam, quam ab ineunte ætate didicerat, ad perfectum usque conscenderit. Referebat etiam Vir Dei patrem suum ob victus paritatem continentiamque centesimum annum superasse c, qui nullo dentium carebat. Mirum fuisset tantum vidisse senem. Factus igitur B. Jacobus annorum xxv, ut eo referente didici, patrem Theodoricum adiit, ab ipso licentiam petens Romam eundi, quo Sanctorum Apostolorum reliquias visitaret a summoque Pontifice benedictionem simul et omnium peccatorum remissionem accipere posset. Annuit venerandus senex

Beatus, a parentibus optime educatus.

* l. cupierint.

F

b

c

nex

A. Fr. Ambrosino de Soncino.

nex piis Filii votis illumque benedicens ait: Vade, Fili dilecte, Creatorisque tut in omni itinere tuo memento, potius mortem eligas, quam in conspectu ejus peccatum admittas; dum in locis Sanctis fueris, mei senis, qui te genui, recordare: quantocius revertere, quoniam gaudium meum et corona mea senectutisque meae baculus existis; benedicat te, Fili dilectissime, Creatoris clementia et te aeternae hereditatis participem efficiat. Sumpta itaque benedictione, socios, cum quibus iturus erat, adiit, versiculum illum in corde decantans: Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me d.

d
Romam proficiscitur et rei pecuniarie

2 Cœpto igitur itinere, socios B. Jacobus sic allocutus est: Videat unusquisque nostrum, sodales dilectissimi, ne forte aliquo pondere peccati gravatus sancto hoc itinere frustremur, rimemur conscientias, quatenus peccatis expurgati plenariam consequamur indulgentiam; toto autem itinere nihil otiosum agebat, semper autem orans, semper meditans, modo psalmos, modo Orationem Dominicam dicebat. Tandem Romam incolumis perveniens, D. Petri Apostolorum principis primum sanctam aedem devotissime adiit, ubi vero Altissimo gratias retulit, in hospitium divertit: hoc Salvatorem opere imitatus est, hoc peregrinantibus exemplum dedit, quod prius ecclesiam, quam hospitium, accedant. Erat Quadragesimae initium, quando urbem applicuit totamque Quadragesimam in ecclesiarum visitatione consumpsit; verum cum feria v in coena Domini vicinior esset, diligentissimam omnium peccatorum suorum confessionem egit, quatenus sancta Pontificis benedictione eorumdem indulgentiam percipere mereretur. Paschate autem expleto, pecunias sibi deficere cernens, intra se aiebat: Quid agam? quo me vertam? fodere non valeo, mendicare erubescio e. Hæc igitur diu mente revolvens, tandem Neapolim f versus ire decrevit. Ea tempestate, ut a quodam venerabili ejus familiarissimo audivi, quædam matrona nobilis in urbe secum eum inter vernas et aulicos suos ad sibi serviendum habere voluit, eo, ut arbitrator, quod pulcher juvenis et elegantis formæ decoraque facie habebatur. At ille periculosum sciens cohabitare scorpionibus et fœmineæ fragilitati suæque castitati rationabiliter metuens, non ignorans paleam, si sæpius ignem viderit, calefieri et ad incendium disponi et ex frequenti convictu facile inardescere, sapienter sapiens, ut alter Joseph, antequam intraret; fugit periculum, malens peregre laborando prudenter propriæ castitati consulere, quam sub carnalibus divitiis magnaque mercede serviendoque mulieri patere discrimini g.

g
inopia cogitur Alphonso regi militare.

3 Temporibus Alphonsi regis Neapolitani nominatissimi bella in regno suo sæpius excitata sunt h, quæ audiens, præfatus juvenis, haud aliter honeste vivere valens, ejus exercitus se militiæ adscribi fecit; immunis fuit quidem ab illis vitiiis, quibus illud hominum genus implicari solet. Pius, modestus, castus, suisque tantummodo stipendiis contentus fuit. Memini ego, dum eidem conviverem, me aliquando talia dixisse: Pater mi, cum artem militarem exercuerit caritas vestra, propriumque videatur militum, aliena diripere, numquid animus manusque vestrae ab iis vitiiis immunes extitere? At ille subridens respondit: Equidem, fili, numquam me aliquid abstulisse

recordor rei domino invito; subdebatque: Ego, dum in quadam urbe regni hospitium in synagoga Judæorum ab exercitus ducibus sortitus fuisset, quodam mane multas ecclesias visitavi, propter quod domum rediens, socios jam pene prandisse reperi; residenti igitur mihi cum cæteris caulium pulmentum delatum est; ubi illud dixere sodales: Hoc pulmentum caulibus furatis atque oleo lampadis Judæorum compositum est, (lampas enim, ut Judæorum mos est, ob bibliæ venerationem in domo illa semper ardebat) tantum igitur horruï, me pulmentum, ex vi ablatis compositum, manducasse, ut artem illam execrans, mane sequenti, a præside licentia habita, militiæ resignaverim, Capuam i illico contendens.

4 Capuam igitur adventi quidam nobilis doctor et æquus k obviam fuit, qui, modestia Juvenis et elegantia, quam in aspectu demonstrabat, considerata, eum sapientem, pudicum et morigeratum judicavit, unde in tantum eum dilexit, quod eum in servum habere voluit, quem non ut servum, sed ut filium habuit. Placuit Viro Dei negotium hoc, illique per quinquennium tanta fidelitate ac gratia servivit, ut dominus fidelem servum super familiam constitueret, non itaque tamquam servus ibidem demoratus est, sed filius domino gratior exstiterat. Quinquennio transacto, Deus, qui eum religiosum ab æterno præordinaverat, in mentem ejus misit patriam repetere senemque patrem præsentia sua consolari, quibus cogitationibus vehementer agitatus semel atque iterum licentiam hujuscemodi a domino suo expetiit, nec obtinuit. Adeo enim ipsum tenerrime diligebat, ut nullo modo abire pateretur. Tandem intra se deliberans quodam die summo mane, insalutato domino, recessit, nec hujus rei aliquando conscientia agitata est, cum dominus servo magis, quam servus domino fidelitate teneretur. Cum aliquando Vir Dei hæc referret, adjugebat: Voluisset dominus meus, ut equo ascenso atque pecuniis sumptis abiissem magis, quam ea paupertate, qua recessi; tanto siquidem me dilectionis prosequeretur affectu. Sic ad patriam tendens Bononiam Deo ducente pervenit.

5 Ingresso itaque Bononiam Servo Dei, ut moris sui erat, D. Petronii l primariam illius urbis ecclesiam devotus adiit, vota sua gratiasque Altissimo referens. Egrediens autem, ubi limitem majoris portæ attigit, ecce ante oculos species quorundam sociorum, qui secum Romam perrexerant, quibus visis, valde gavisus est, in mutuos autem amplexus prorumpentibus Servo Dei ac sociis, tanto gestiere gaudio, ut angelum Dei se vidisse, sodales arbitrantur. Causa tandem itineris exposita, ipsum coegere socii, ut ad stipendia Bononiensis arcis secum aliquantulum commorarentur, quo honoratius congregatis pecuniis patriam repetere posset; insuper eidem socii pollicebantur, se pariter Alemanniam ituros. Sicque divino consilio ibidem moram traxit, addictus stipendiis Thomæ Tartari Bononiensis, tunc arcis præsidis. Interea dum Bononiæ moraretur, ecclesiarum limina frequentabat, potissime autem D. Dominici, ubi præfati patris nostri sanctissimi reliquæ magna veneratione servantur. Tantum fratrum modestia, sanctitate atque divinis compunctus est officiis, ut patris patriæque obliviscens, religionis D. P. N. Dominici

i
Deinde, postquam euidam nobili famulatus fuisset,

F
Bononiam tendit.

A habitum assumere disposuerit. Hoc itaque ductus proposito, primo fratri, qui sibi sequenti mane occurreret, pectoris sui secretum aperire decrevit, illius consilium firmissime secutus.

ubi S. Domini-
ci

6 Facto mane ad monasterium B. Dominici Servus Dei festinat, cui venienti obviat divino consilio Ven. P. Fr. Nicolaus Carbonellus, provinciae Cataloniae m, vir Deo devotus et ferventissimus admodum praedicator, nec non illius monasterii tunc prior, ad quem humiliter accedens servus Dei Jacobus dixit: Ego, pater venerande, Salvatori meo Jesu Christo toto mentis affectu servire cupiens, statui intra memetipsum illius fratris, quem hoc mane primum obvium haberem, omnino consilium sequi, sic igitur reverentiam vestram, ut mihi exulas, me diligas, qua possum, humilitate ac devotione rogo. Admirans autem prior Juvenis fervorem, illum devote hortatus est, ut se in Dei timore conservaret, demonum, carnis ac mundi tentamenta superaret, illud Sapientis dictum memorans: Fili, accedens ad servitum Dei sta in justitia et timore et praepara animum tuum ad tentationes n; quibus verbis tanto Juvenis fervore accensus est, ut exclamans diceret: Ego, pater, in sancto habitu Deo servire volo, rogans, ut mei reverentia vestra miseretur: non quaeso, venerabilis pater, hunc filium suum a sui praesentia abiciat. Annuit prior petitioni Juvenis devota, illumque hortatus est, ut regrediens ad hospitium sua omnia ordinaret ac diserneret, quo sanctae religionis habitum purior suscipere mereretur. Die igitur sequenti, cunctis rebus suis dispositis, ad monasterium revertitur, ubi secundum nostrarum seriem constitutionum diligenter examinatus, ad habitum conversorum nostri Ordinis, licet pauculas sciret litteras, jucunde receptus est.

institutum
amplctitur.
o

7 Erat autem, ut ipse Vir Dei retulit, annorum circiter 30 vel 31 o, quando scilicet Ordinem intravit: Vicarius autem Congregationis tunc erat ven. pater Fr. Antonius de Vercellis, homo Dei. Fiunt haec nota Thomae arcis praesidi ac sociis suis, qui celerius ipsum visitarunt, non ut a religionis ipsam proposito retraherent, quem stabilem noverant, sed magis illi congratularentur, dum recessuri essent. Thomas praefatus haec adstantibus dixit fratribus: Patres, vos recepistis Juvenem istum, quo numquam modestiorem ac honestiorem vidisse me fateor; nullus nostrum aliquando, quod reprehensione dignum esset, illum dicere aut agere cognovit, quin imo nos coram eo nec otiosum quidem verbum loqui ausi fuimus, doleo equidem, non quod sacram hanc religionem sit ingressus, sed quod tam modesto tamque pio Juvene sim privatus. Haec mihi Fr. Ambrosius, ven. P. Fr. Jacobus de Bononia et Fr. Joannes de Parma conversus, qui his, quae diximus, interfuere, retulerunt.

ANNOTATA.

a *Ecclesiast. cap. 45, v. 1.*

b *Urbs Germaniae est, in Suaeve circulo, ampla, probe culta et munita, ad Danubii flumen.*

c *Flaminius, de quo in Commentario praev. sumus locuti, dicit, Theodoricum ad aetatis annum centesimum tertium pervenisse.*

Octobris Tomus V.

d *Psalm. 24, v. 4.*

e *Lucae cap. 16, v. 3.*

f *Italiae civitas est et ejusdem nominis regni caput.*

g *Apud Flaminium nihil de nobili hac matrona, Sanctum ad famulatum petente, legitur.*

h *De bellis, quae gessit Alphonsus rex ab anno 1420 usque ad mortem Joannae, nominis II, Neapolis reginae, id est, ad annum 1434, agit Pandulphus Colleutius in Hist. Neap. lib. 5.*

i *Italiae, in regno Neapolitano, civitas archiepiscopalis, 6 leucis ab ejusdem regni primaria urbe dissita.*

k *In B. Jacobi Vita, a Flaminio concinnata, ita legitur: Sanctus ibi (id est, Capuae) nactus est Campanum civem, praclarum virum, jurisconsultum et equitem, qui etc.*

l *De hoc Sancto in nostro Opere ad iv Octobris diem actum est.*

m *Hispaniae magna provincia, principatus titulo insignita, inter montes Pyrenaeos, qui eam a Gallia dividunt, interque mare Mediterraneum et regno Arragoniae atque Valenciae sita.*

n *Ecclesiast. cap. 2, v. 1.*

o *Flaminius supra citato loco dicit, B. Jacobum S. Dominici Ordinem anno aetatis trigesimo quarto fuisse amplexum.*

A. FR. AMBROSIO DE SONCINO.

CAPUT II.

Solennis ejus votorum nuncupatio et praeclearae virtutes.

Postquam igitur Juvenis habitum devotissime suscepit, tanto ferebatur desiderio digne Creatori suo deservire, ut non satiaretur viam inquirere, qua sanctum propositum executioni mandare posset. Propter quae magistrum adiens novitiorum, ut mihi Fr. Ambrosius aliquando retulit, his verbis allocutus est: Pater amatissime, ego, saeculo relicto, hunc suscepi habitum, quatenus Deo meo ferventissime servire valeam, eapropter paternitatem vestram, qua possum, virtute rogo, ut mihi viam hanc ostendat, me instruat meque suis consiliis ad caelestia regna perducat. Haec audiens novitiorum magister in his verbis pulcherrime eundem exhortatus est dicens: Fili mi, duae sunt civitates perpetuae, ad quarum alteram omnes homines accedere necesse est; prima Babylon dicitur, quae interpretatur confusio: haec est ardentis gehennae fornax infernique chaos, in hac sepulti cruciantur omnes, qui in mortali peccato discessere, ad hanc superbi, impudici, pertinaces, seditiosi, schismatici Majestati divinae prorsus inobedientes damnabuntur in aeternum. Ad hanc civitatem via, quae nos ducit, est superbia, omnium vitiorum mater et procreatrix, ibi enim habitat satanas, qui est rex super omnes filios superbiae. Secunda civitas est, Fili dilectissime, quae sursum est Hierusalem, visio pacis interpretata, hanc beatissimi Spiritus Sanctique omnes inhabitant, Dei Patris potentiam, Filii humanitatem et Sapientiam et Spiritus Sancti bonitatem aeternum jucundissime

Praeceptorem suum de sanctissimo civem di modo percontatur,

A. Fr. AMBROSIO DE SONCINO.

cundissime collaudantes: hujus civitatis Dominus est Salvator noster Jesus Christus, qui est Rex regum et dominus dominantium. Ad hanc civitatem nos conducit sancta humilitas, quæ est omnium virtutum custos et conservatrix: divo dicente Gregorio, qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. Hanc ut amplectaris, te suo exemplo invitat Salvator noster Jesus Christus dicens: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde *a*. Hanc summe commendat beatissima Dei Mater Advocata nostra dicens: Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ *b*. Hæ igitur duæ sunt viæ, una, quæ ducit ad cælestem patriam, scilicet humilitas: altera perpetuo igni se ingredientibus deducit, scilicet superbia. Extende igitur manum tuam, Fili mi, et eam, quæ tibi magis placet, elige. Te tamen hortor, ut humilitatis viam ingrediaris, qua postea exaltari possis. His verbis mirum in modum Juvenis accensus: Benedictus Deus in donis suis, inquit; ego, pater amantissime, sanctæ humilitatis semitam eligo, illam totis animi votis amplecti volo. Humilitate igitur ita Sanctus Dei firmissime fundatus fuit, ut omnibus inferiorem ac viliores se reputaret, nullum spernens, sed cunctis libentissime serviens.

et solennia voto emittit.

9 Anno itaque expleto a religionis ingressu, miro desiderio expectabant fratres, ut professionis vinculo devotus Vir se ligaret; timebant enim, ubi non erat timor, ne scilicet tam devotus Juvenis, tam simplex tamque pius Frater aliqua mundi aut demonis tentatione ad seculum rediret. Sed Dei Servus intra se statuerat, potius mortem subire, quam sanctæ religionis habitum vel ad momentum relinquere. Igitur tempore adveniente, quo superioribus obedientiam profiteretur, sollicitè novitiorum magister illum instruit, primum ut peccatorum omnium diligentissimam ac generalem confessionem faceret, secundo ut seniorum pedibus advolveretur secundum religionis sanctissimos mores, quatenus tantum donum ab iisdem impetraret; quibus sollicitissime peractis, die statuto fratribus in capitulo congregatis, Priori Fr. Nicolao de Catalonia *c*, vice magistri Bartholomei Tenerii, tum generalis Magistri Ordinis Prædicatorum, Servus Dei obedientiam professus est, in qua, ut ipse retulit aliquando, nova dona consecutus est. Habuit enim postmodum in suis orationibus supernos gustus, semper desiderans, quæ Dei voluntati placita nosset, cogitare atque operari.

In Beato

10 Tanta hujus Servi Dei verba mirumque vivendi modum mihi exprimere volenti vires deficiunt; quamvis enim multa egerit, quæ nostræ religionis consuetudines non exigunt, ut cilicio carnem domare, disciplinis corpus affligere, orationibus tota pene nocte insistere, atque alia multa, quæ a suis familiaribus deprehensa sunt; hæc tamen omnia quadam hilaritate sancta semper occultavit. Omnibus affabilis, domesticus atque familiaris fuit; cunctis sine ulla personarum acceptione cupiebat rem gratam exhibere, nunquam singularitatis notam incurrit; communem refectorii victum, communes orationes, communia loca semper diligens ac sequens. Nullus tamen illo sollicitior erat: cæteris prior ecclesiam ingrediebatur, et in obscura capella primum Matutinas dicebat, tum suas orationes solitas, deinde altaria omnia visitabat, semper ab altari B. Virginis inchoans,

summa siquidem veneratione mundi Reginam D prosequatur, ut illum in viam salutis dirigeret, illi sanctam matrem Ecclesiam ejusque prælatos, illosque, pro quibus rogare tenebatur, devotissime commendans: hæc eadem agebat, dum singula lustrabat altaria, Sanctos deprecans, in quorum honore constructa fuerant.

11 Cum sacram Communionem sumere debebat, tota præcedenti die summo silentio deditus erat; nocte vero sanctis meditationibus incumbens, confitebatur etiam libentissime ea hora, qua Nocturna completa erant: sumpta Communionem, totus in Dei raptus amore hæc eadem peragebat. Consuetudo semper illi fuit, Primam, Tertiam, Sextam Nonamque in aurora dicere, tum sacerdoti Missam celebranti serviebat semel atque iterum et pluries, prout a sacrista vocabatur. Expeditis autem his, tota die manuum operibus intendebat; tantam menti ejus gratiam omnipotens Deus infuderat, ut quorumlibet artium mechanicarum optimus magister existeret, potissime in componendis vitreis fenestris excelluit: dum his intendebat, sæpius illud Apostolicum fratribus adstantibus replicabat: Qui non vult operari, non manducet *d*. Ego tanti viri, quamquam indignus discipulus, veridica assertione hæc attestari possum, me illum nunquam otiosum vidisse, sed semper aut manuum operibus, aut divinis rebus occupatum, sæpius illius dicti memor erat: Multa mala docuit otiositas *e*. Vir erat, qui rarissime, nisi interrogatus, loqueretur, verba autem ejus ædificatoria erant, suæ aut alienæ salutis utilia atque proficua, noverat optime dictum illud: Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir *f*. Ad refræandam linguam fratres hortabatur, eo maxime quod ad servandum silentium ipsi tenerentur.

12 Clementia autem et pietas cum ipso perseveravit ab uberibus matris usque ad extremum vitæ. Quid longius morer? Omnis motus, omnis gestus omnisque conversatio ejus longe lateque sanctum sparserat odorem, cupiebant plerique religiosorum ac sæcularium illum alloqui sanctisque ejus exemplis ædificari. Eo tempore, quo inter Venetos et duces Ferrarise bella exorta fuerunt, Alfonsus *g*, dux Calabriae *h*, Ferrariam contendens, Bononiam devenit, ubi, B. P. N. Dominici reliquiis visitatis, conventum ingrediens, patribus, qui se sociabant, ait: Ego, patres reverendi, quam libentissime Fr. Jacobum de Alemannia conversum visitarem, sancta siquidem fama ejus in regno etiam nostro ad aures nostras pervenit, quo accersito, hominem venerando cognovit aspectu illumque complectens ac deosculans humiliter se Viri Dei orationibus commendavit. Cui Vir Dei per singulos dies Dominum pro sua excellentia rogaturum pollicitus est. Tunc dux, gratias referens, caput eidem inclinavit. Sic venerandus senex ad propria reversus est. Dux autem fratribus adstantibus dixit: Vere, patres reverendi, Senex hic venerandus Servus Dei verus mihi videtur ac sanctus; confido me istius orationibus ad patriam incolumem rediturum. Præclarissima autem patientiæ exempla, quibus in adversis tolerandis mirum in modum excelluit, quis ullo sermone comprehendere posset? Nunquam in adversis turbabatur; sed hilaris ac festivus sæpius dicebat: Patientia vobis necessaria est. Trium infirmitatum molestias in corpore suo perpressus est,

A est, quas tanto patiebatur gaudio, ut Deo gratias referret, qui sibi talia concesserat ad animæ salutem. Dum doloribus cruciaretur, orationes suas nunquam omisit, rarissime manuum opera, dicens: Virtus in infirmitate perficitur. Et hæc de ejus virtutibus in communi dicta sufficiant.

insignis obedientiæ, cujus hæc illustra

13 Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. His verbis sacra obedientiæ virtus gloriosissime commendatur, ob quam servandam Salvator mundi Jesus Christus mortem perpessus est. Hæc et his similia Servus Dei animo pervolvens, tanto fervore superioribus obedientiam servavit, ut enarrari vix possit. Vide sæpius, cum prælatus Servo Dei aliquam obedientiam injungeret, illum in tanta celeritate mandatum superioris exequentem, quod, priusquam prælatus verba compleverat, expeditus ipse, ut eadem impleret, festinabat. Si quando ei infirmarii l aut cujusvis alterius officium imponebatur, ita sollicitè illi officio intentus erat, ac si

B perpetuo idem officium exequi debuisset. Interrogantibus fratribus, cur tanto studio officium ad horam impositum exequeretur, respondit: Nos, qui obedientiam polliciti sumus, eandem diligenter usque ad mortem servare tenemur: licet me ad horam huic ministerio obedientia addixerit, quis scit, num forte velint majores mei illud perpetuo exerceam; eapropter illi intentus sum, quasi mihi perpetuo injuncto officio. Quadam vice venerabilis P. Fr. Michaël de Hollandia, vir Deo devotus, dum prior in eodem conventu Bononiensi existeret, contigit, quemdam episcopum, qui gratia visitandi conventum advenerat, eundem associare: accidit autem, ut, transeunte episcopo, Vir Dei illic pertransiret; prior autem episcopo dixit: Reverende pater, hic, qui nunc pertransit, frater devotissimus est, religiosus ac Dei Servus. Venerandus ejus aspectus, inquit episcopus, hoc testatur. Tunc prior ait: Inter cæteras virtutes ejus obedientissimus inter omnes fratres existit; quod si dominationi vestræ placet, hoc ipsum experimento comprobabo. Gratissimum ac jucundum, ait episcopus, mihi erit talia videre. Una igitur episcopus et

C prior ad locum, ubi Vir Dei suo exercitio intentus erat, accesserunt; cui prior ait: Fr. Jacobe, necesse est, ut versus Franciam ad reverendissimum Magistrum Generalem Ordinis, qui Parisiis est, quasdam litteras delaturus eas; at Vir Dei ad cellam festinans, Accedam, inquit, nisi vestræ paternitati displiceat, accepturus pileum, quo facto, genuflectens Vir Dei ante priorem, benedictionem illico recessurus petiit. Admiratus est episcopus vehementer tam promptam obedientiam eo maxime, quod nec pecunias, nec rem aliquam pro tam longo itinere peragendo perquisierit. Prior autem Viro Dei mandavit, ut ad pristinam rediret officium, quasi alteri obedientiam itineris impositurus esset.

exempla traduntur,

14 Quidam civis Bononiensis, dum multos fratres invitasset secum in quodam viridario suo, haud procul ab urbe Bononia, ut aliquantulum recrearentur; adfuit etiam Vir Dei; postquam autem omnes simul pranderunt, ait qui primus inter fratres aderat: Fr. Jacobus citius cum fratribus ad piscandum sumptis retibus accedat, ut cœna nobis præparari possit. Abiit illico Vir Dei ad Rhenum in fluvium eidem loco propinquum; missis igitur retibus, prima

vice tantos extraxit pisces, quantos duo fratres vix perferre possent, et, cum tanti essent, non est scissum rete. Stupor fratres omnes circumstantes circumdedit, promptæ ac simplicis obedientiæ meritis hoc gestum attribuentes. Vir Dei in componendis, ut supra diximus, vitreis fenestris ac eisdem depingendis optimus artifex erat; dum ergo vice quadam figuram quadam depinxisset, vitros * in fornace deposuerat, quatenus igne supposito, ut illius artis moris est, colores vitro fortius inhæerent, cautissime autem hujusmodi ignem adhiberi talibus necesse est, ne nimio calore consumantur colores. Accenso itaque igne, veniens frater quidem, Vir Dei ait, mandat pater prior, ut una ad quæstum panis eamus; at Vir Dei, Benedictus Deus in donis suis, respondens, vitris ibidem relictis illico recessit. Rediens autem, vitros * ita obedientiæ merito non solum conservatos, sed etiam perfecte decoctos reperit, qualiter unquam aliquando viderat. Nec mirum: Deus enim, cujus perfecta sunt opera, obedientiæ meritum hoc miraculo comprobare voluit. Denique usque adeo obedientiæ meritum hic Vir Dei diligebat, ut ea die, qua nihil sibi imponebatur, nullum meritum se acquisivisse posse crederet.

A. Fa. AMBROSINO DE SONCINO.

* l. vitra

* l. vitra

E

et angelica castitas nitent.

15 Nunquam corpus suum incontinentiæ foeditate Servus Dei maculavit, sed pudicum mente et corpore se servavit. Duo enim sibi assumpserat ob puritatem servandam; primo in statu atque incessu oculorum dimissionem, sciens, quoniam mors intrat per fenestras; aliud erat, cogere corpus suum tum rebus spiritualibus, tum manuum operibus assidue spiritui servire. His igitur angelica puritate Servus Dei in terris nituit; in carne enim præter carnem vivere angelicum est, non humanum. Ad hanc virtutem custodiendam sæpius fratres hortabatur, asserens, quod nulla adeo gravis est carnis tentatio, quæ non dulcissimi Jesu aut unius actus passionis ejusdem meditatione extinguatur. Paupertatem autem sic Servus Dei dilexit, ut illam ad unguem semper servaverit, rebus summe necessariis contentus erat; demum sæpius dicebat, se non solum particularia non habere, sed nec se ipsum, quia majorum voluntati omnis subiciebatur, sicque pauperrimus spiritu regnum cœlorum adeptus est. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Cum refectionis hora advenisset, sociis aliquando dicebat: Eamus, fratres ad refectorium, ut videamus, si isti patres nobis aliquam eleemosynam facere dignentur.

F

ANNOTATA.

a Matth. cap. xi, v. 29.

b Apud Lucam cap. i, v. 48.

c Vide Annotata cap. i.

d Apost. Paulus Epist. 2 ad Thessalonienses cap. 3, v. 10.

e Ecclesiastici cap. 33, v. 29.

f Epistola B. Jacobi cap. 3, v. 2.

g Hic Alphonso postea rex Siciliæ nomine II fuit.

h Ampla regni Neapolitani provincia maxime in austrum extensa versus Siciliam.

i 2 B. Pauli Epist. ad Corinthios cap. 12, v. 9.

k Epist. B. Pauli ad Philipp. cap. 2, v. 8.

l Infirmarius,

A. Fr. AMBRO-
SINO DE SONCI-
NO.

1 Infirmarius, hæc vox designat illum, cui infirmorum cura demandata est.

in Renuis, non Rhenus, Italis Reno, fluvius in Florentina Italiae provincia prope civitatem Pistoriam originem sumit, et Pado junctus Bononiam præterfuit.

n Apud Matth. cap. 5, §. 3.

CAPUT III.

Ejus cardinales et theologales virtutes : orationes et meditationes : visio mirabilis Beato exhibita.

B^{eatus} prudentia, temperantia,

Fidelis servus et prudens. Una cardinalium virtutum prudentia est, quæ in tantum in hujus Viri actionibus fulsit, ut merito videri possit fidelis servus et prudens : in superandis hostis antiqui acerrimis tentationibus, quibus diu noctuque illum insequabatur, potissimum virtute prudentiæ usus est. Si quando vana gloria tentabatur, illico dicebat : Quid terra et cinis? Pusillanimitatem interdum tantam demonis persecutione incurrebat, ut nunquam delictorum suorum penitentiam condignam posse agere arbitraretur, quod vitium prudentissime superabat ante crucem se provolvens ac dicens : Domine Jesu Christi Fili Dei, per mortem et crucem tuam salvum me fac in sanguine tuo et aqua, quam sparsisti. In agendis negotiis exterioribus quantumvis arduis ita prudenter se habuit, ut illius dicti meminisse videretur : Quidquid agis, prudenter agas et respice finem. Secunda virtutum cardinalium temperantia est. Hac ita hujus Viri Dei omnes actiones delinitæ erant, ut temperatum magis neminem viderim. Si quando ab aliquo dicto vel facto offendebatur, nunquam huic virtuti contrarium signum ostendit; semper hilaris, semper jucundus purissimæ mentis claritatem in exteriori homine præferbat. Turbatur quidem vehementer temperatumque modum in hoc excedere videbatur, ubi contra divinum honorem aut animæ salutem aliquid dici aut agi animadvertisset; sed tamen Salvatoris exemplo excusari potest, de quo dicitur : Zelus domus tuæ comedit me *a*.

a
fortitudine, justitia,

17 Fortitudine quoque Vir Dei apprime dotatus erat, qua ardua tum temporalia tum spiritualia audacter aggrediebatur, constantissimeque in his usque ad ultimum perseveravit. Demum justitia, quæ unicuique, quod suum est, reddit, gloriosissime claruit; divinæ etenim Majestati gloriam et honorem semper reddidit, sanctæ matri Ecclesiæ venerationem, superiores obedientia cæterosque affectuosissima caritate semper prosecutus est, Davidicum illud per singulos dies semper observabat : Feci judicium et justitiam *b*. Cum dormitionis hora aderat, dicta factaque sua diligenter examinabat, tribunal mentis suæ semper conscendens, de male actis se vindicabat; deinde corpore disciplinæ verberibus attrito, ac si peccata grandia commisisset, in hunc modum orabat : Averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniqui-

tates meas dele c, et iterum : Salva me vigilantem, custodi me dormientem, ut vigilem cum Christo dilectissimo Filio tuo et requiescam in pace. Postea se S. Angelo commendans dicebat : Angele, qui meus es custos, pietate superna me tibi commissum salva, defende, gubernare. Post hæc membra sopori tradebat. Propter quod ita deduxit eum Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei et beatificavit illum in gloria.

18 In fide et lenitate Sanctum fecit illum Dominus Deus noster *d*. Tantum cuilibet necessaria est hæc virtus, ut sine illa impossibile sit placere Deo, qui fidei ita inhærebat Vir Dei, quod pro illa libentissime corpus et animam semper exponere cupiebat. Hæc verba sæpius illum repetentem audivi; cum ad ejus aures aut hæreses, aut schismata, aut exorta bella in sanctam Romanam Ecclesiam pervenissent, miro cruciatur dolore, orabat cum lacrymis diuturnis ad Dominum, ut Sponsam suam oculo pietatis aspiceret, sæpiissime pro ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ statu rogabat, dicens : O Domine Jesu Christe, nobis tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Multa alia propter ingentem fidei fervorem agebat, quæ longum esset enarrare. Verum quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei; attentissime verba Dei Vir sanctus audiebat, considerans etiam, quoniam, qui ex Deo est, verba Dei audit *e*.

19 Spe longanimis equidem fuit hic Vir Dei, non in mundi hominibus sed in Creatore suo spem ponens, laborum, vigiliarum, orationum cæterarumque virtutum ab ipso solo expectabat mercedem. Hanc igitur Vir Dei sæpe laudibus efferebat, dicens : Legimus inaudita tormenta sanctos Martyres fuisse perpepos, Confessores ac Virgines grandia sustinuisse. Hæc virtus est, quæ illis constantiam, longanimitatem ac optimum finem tandem concessit. Dicebat enim aliquando de hac præclarissima virtute loquens : Sunt quidam, qui se in Deo sperare credunt, dicentes : In Domino confido, quod, cum dies mortis advenerit, omnium peccatorum meorum veniam obtinebo, et hac decepti spe peccata committunt et mundi oblectamenta sequuntur : non sunt hæc dicenda spes, sed præsumptio. *f* Anne arbitramur Deum, qui summa justitia est, sine operibus aliquibus maxime operari valentibus æternam velle largire beatitudinem? Dicit enim B. Augustinus : Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te : idem divina Scriptura : Spera in Domino et fac bonitatem *g*. Qua spe Dei Servus longanimis effectus, laborum suorum mercedem tandem accepit.

20 Nunc manent fides, spes, charitas; tria hæc, major autem horum est caritas. Duobus mandatis omnis caritatis vis concluditur; Dei scilicet et proximi dilectione *g*. Cum itaque ferventissimo amore Dei hic Servus Dei semper arderet, quis dubitat, eum caritatis virtute excelluisse. De dilectione autem, qua proximum prosequatur, quid loquar? Amicos omnes se in Deo amare dicebat, sed inimicos propter Deum. Nullus est, qui, si eum infirmis servientem vidisset, non illum pietate ac clementia ardere affirmasset. Verum, quia perfecta caritas foras mittit timorem, nullo mortis pavore pavidus, morbo pestilentie laborantibus fratribus promptissime serviebat; etenim cum fratrem hoc morbo laborantem audiebat,

A bat, a priore, benedictione sumpta, eidem servituum se diligentissime pollicebatur. Ad infirmos autem jucunde ac letanter accedens, illos verbis atque operibus mirabiliter confortabat, cibaria necessaria præparans atque cuncta peragens, quibus indigere noverat, ægrotantes. Multi, quibus ipse deserviebat, liberati fuere, ut ipsi affirmabant, potius Viri Dei meritis, quam medicamentorum subsidiis: hujusmodi infirmitate fratrum decedentium corpora caritative abluebat, sepulturæ diligentissime tradens. Propter hoc credimus, Christianis ad hujus beati Viri præsidia concurrentibus tempore pestis, grandia subsidia divinam clementiam largituram. Caritate itaque fundatus, tam mirifica semper operatus est: otia summopere devitans, sicut enim ait B. Gregorius: Amor Dei nunquam est otiosus. Dum fratres conversos ad hanc caritatem acquirendam aliquando hortaretur, dicebat: Fratres carissimi, diligenter caritati intendite, quia hæc est vestis nuptialis, sine qua in æterno Dei convivio nullus introducitur; sed hæc spoliati mittuntur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium *h*. Hæc et his similia ad caritatis commendationem et fratrum exhortationem sæpe numero Vir sanctus dicebat.

Ferventi orationi

21 Intelligens Vir Dei divinas Scripturas, fidelibus cunctis orationum frequentiam consulere, eisdem totis animi votis inhaerere studuit; namque cum Salvator discipulis dixit: Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem *i*. Christianis cunctis eadem præcipiebat, et Beatus Apostolus ait: Orationi instate. Hoc igitur animi firmato proposito majorem noctis partem orationi insistens expendebat: orationis autem tanta trahebatur dulcedine, ut etiam manuum operibus intentus ab hac desistere nequiret. Una die, dum una cum Servo Dei ego Fr. Ambrosinus nostro intenderimus exercitio, postquam ab ipso de modo orandi interrogatus fuisset, illum itidem interrogavi obsecrans, ut ad mei profectum, quemnam modum observaret in orando, aperire dignaretur. Respondit illico Servus Dei: Crede mihi, carissime frater, me nullam ex multis, quas didici, digniorem, dulciorem atque magis proficuum orationem aliquando reperisse ea, quam Filius Dei ore suo

C edocuit, scilicet PATER NOSRER: Cuncta hæc oratione ab omnipotenti Deo petimus aut animæ aut corporis necessaria: tantum mihi suavitatis plerumque hæc oratio præstat, ut illam dicens dulcissimo melle aut saccharo me plenas fauces habere credam: hanc mihi dulcedinem ex verbis, quæ Filius Dei ore suo protulit, provenire arbitror. In hoc Servo Dei illud Davidicum excellentissime exemplabatur. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo *k*. Orabat quotidie pro summo Pontifice Ecclesiæ pastore, proque cunctis prælatis ejus, potissime autem pro Ordinis nostri præsidentibus, quod tantum Dominus conservaret Ordinem, denique pro omnibus deprecabatur Servatoris clementiam eo modo atque ordine, quo supra diximus.

et contemplationi assidue intendit.

22 Postquam Servus Dei per singulas dies præfatis orationibus, genuflectionibus spirituum suum in actualem provocaverat devotionem, tandem in seipsum reductus, quanto valebat fervore, omnipotenti Deo immortales referebat gratias ob collata beneficia, Creationis scilicet, conservationis ac redemptionis, potissime autem religionis, quod beneficium velut ma-

ximum semper magni pendebat. Verum recogitans humanum genus dulcissimi Salvatoris Jesu Christi sanguine redemptum, quotidie passionis mysteria magnis suspiriis magnisque gemitibus contemplabatur. Imaginabatur primum Servus Dei videre se Jesum Salvatorem sancto deflexo vertice discipulorum pedes lavantem, quapropter ad sectandam humilitatem seipsum mirum in modum hortabatur, tum veluti trans torrentem Cedron abiens, Filium Dei in agonia factum atque orantem; Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, se videre arbitrabatur, et cum sudores sanguineos Jesum ob representationem futuræ passionis emittere cogitaret, mirabili compunctione atque incredibili cordis agitatione afficiebatur; inde itidem impiissima traditione a Judæis ligatum Jesum, Annæ et Caiphæ præsentatum, in maxilla a servo percussum quam amarissime recogitabat; cum vero divinam sapientiam albo vestitu indutam velut famam memorabat, totus tristitia perfundebatur; neque vero oblivioni tradebat sequentia mysteria flagellationis, coronationis, crucifixionis etc. dolebat, angebatur valde, cum hujusmodi cogitando animadverteret. Denique cum mysteria gaudiosa resurrectionis D.N. Jesu Christi et ascensionis pie meditaretur, ingenti gaudio replebatur. His itaque peractis, Christo, ad dexteram Patris constituto, profunde Servus Dei se inclinabat dicens: Gloria tibi, Domine, qui natus es Virgine, succurre mihi hodie cum Patre et S. Spiritu in sempiterna sæcula. Tunc ad serenissimam Dei Matrem se vertens, quam reverenter eam salutans dicebat: Ave, Regina cælorum, Mater regis Apostolorum, o Maria flos Virginum velut rosa, velut liliium, funde preces ad Filium pro salute fidelium. Denique Sanctos omnes visitabat, dicens: Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute. Hoc igitur modo Dei Servus quotidianas suas contemplationes terminabat, postea vero, ad sua opera exercenda contendens, nullo aliquando labore fatigabatur; vehementer enim cupiebat opera meritoria exercere, quibus, quam contemplando degustaverat, æternam felicitatem tandem assequi mereretur.

F Rapitur extra se.

23 Narravit mihi aliquando hic Dei Servus, dum semel nostro exercitio intenderemus: Ego, inquit, dum in quadam camera conventus Bononiensis me quandoque reperissem, tum forte subit mihi voluntas orandi, verum, quomodo, descio, Deus scit, a sensibus corporis alienatus sui: deductus est autem spiritus meus in quoddam viridarium omnibus mundi oblectationibus repletum, ubi suaveolentes rosæ, violæ dulcissimique concentus aderant, tantaque mens mea dulcedine completa fuit, ut ibi perpetuo commorari optarem; verum quidam frater pertransiens meque mortuum suspicatus priorem festinanter vocavit, accurrunt fratres atque fricationum vehementia ecstasis illa recessit; ubi vero in tot fratrum me conspexi presentia dixi: Promitto vobis, (sic enim inter loquendum sæpe numero Vir Dei replicare consueverat) quod nihil mihi infelicius accidere potuisset, tanta siquidem consolatione gaudet animus meum conturbaverunt. Aliud quoque multis fratribus referentibus didici, quod scilicet grandi splendoris lumine hic Vir Dei corpus circumdabatur. Hoc idem mihi interroganti Vir Dei secretissime aperuit dicebatque tantum

A. FR. AMBRONINO DE SONCINO.

tantum esse luminis, ut media nocte minima quæque conspici possent.

ANNOTATA.

- a *Psalm.* 68, v. 10.
 b *Psalm.* 118, v. 121.
 c *Psalm.* 50, v. 10.
 d *Ecclesiastici cap.* 45, v. 4.
 e *Epist. B. Pauli ad Rom. cap.* 10, v. 17.
 f *Psalm.* 36, v. 3.
 g *Epist. 1 B. Pauli ad Corinthios cap.* 13, v. 13.
 h *Matt. cap.* 8, v. 12.
 i *Marc. cap.* 14, v. 38.
 k *Psal.* 118, v. 113.
 l *Illum Beati extra sese raptum iisdem fere verbis refert laudatus Flaminius in citata sæpe Vita.*

CAPUT IV.

B

Beneficia quædam Sancti intercessionem collata : mors, sepultura et translatio.

Dæmones fugat et civium seditionem avertit.

Humani generis hostis illius virtutibus invidens, quem vitiorum tentationibus superare interius nequibat, variis imaginibus eum deterere conatus est. Eidem aliquando oranti in capella S. Vincentii, qui in ecclesia nostra jacet, apparuit demon hujusmodi figuræ: æthiops videbatur nigerrimus unum tantum oculum habens in frontis medio, adeo brevi circumdatus veste, ut pudenda paterent, facto autem signo Crucis, ut fumus evanuit. Dum idem Servus Dei alia vice in capella S. Antonii præfatæ ecclesiæ oraret, magnum sonitum in ecclesia audivit, tunc faciem vertens, demones in ecclesiæ medio ducentes choreas avertit, ad hos Servus Dei opproinquans, quænam sit causa tanti gaudii in virtute Dei inquit; illico ab iisdem responsum est: Hujusurbis factiones, quæ vulgo partes dicuntur, tantum excitavimus, ut magno furore sanguis humanus crastina die sit effundendus. His dictis, demonum turba aufugit; Servus autem Dei in oratione se prosternens a populo hoc flagellum avertit: finita oratione, ad propriam revertitur cellam, quam et ingrediens dæmonum multitudine in corvorum specie hinc inde volitantium ipsam plenam reperit; facto autem signo Crucis, Davidicum illud replicabat; Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad juvandum me festina; confundantur et reverentur, qui quærunt animam meam *a*. Dæmonum autem vicibus a dæmonibus percussus, post verbera antedicto lumine mirabiliter circumdabatur *b*, interiorque spiritus illum propheticiis verbis confortabat: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ *c*; et iterum: Expecta Dominum, et viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum *d*. Hoc lumine illum circumdatum vidit quidam sacerdos, qui forte inde transibat. Hæc igitur sunt

paucula, quæ ad sanctitatis indicium Dominus D ostendit, quæ ibidem ex multis enarrasse sufficiat.

25 Voluit omnipotens Deus sua clementia Servi sui actiones sibi acceptas etiam cælestibus indicibus demonstrare. Bononiæ quidam venerabilis sacerdos fuit, D. Hieronymus de Aviolo dictus, hic sancto Viro familiarissimus fuit; cum in gravem incidisset infirmitatem, Vir Dei, illo evocante, ipsum visitavit, ubi autem cameræ limites, in qua jacebat, attingisset, visum est ægroto semisanum se esse. Cum dulcius confabularentur, extendens manum Vir Dei super faciem ægroti illam traxit usque ad plantam pedum: mira res! illico ægrotus convaluit. Hoc autem venerabilis sacerdos attestabatur, quod in ea parte corporis se liberatum pedetentim sentiebat, super quam manum suam Vir Dei traheret. Illico ergo et lecto consurgens, Altissimo gratias reddidit. In ejus autem rei testimonium præfatus sacerdos, qui egregius pictor erat, figuram Viri Dei illo vivente naturalissime depinxit atque post mortem ad sepulchrum primus obtulit.

26 Soror quædam præfati sacerdotis, cum acutissima febre laboraret, memor sanitatis, quam frater meritis Viri Dei fuerat adeptus, illum, ut se visitaret, evocari fecit, qui adveniens salutiferæ crucis signum fronti ejus orans impressit sicque ad monasterium illo redeunte mulier illico et lecto sospes surrexit. Cujus rei publica vox urbis Bononiensis testimonium reddidit. Taceo quot morbo pestilentiæ laborantibus hic Vir Dei salutem contulit. Quidam studens Bononiæ, qui de partibus Alemanniæ venerat, dolore capitis incredibili per quatuor menses laborabat, fluctuabat mens ejus, an domum rediret, an studium prosequeretur; dum igitur die quadam in porta habitationis suæ cogitabundus resideret, ecce vir quidam interrogat, quæ tantæ sit causa tristitiæ; respondit ille ad singula: cui vir: Vade, inquit ad S. Dominicum et Fr. Jacobum inquire, hic te suis orationibus sospitem efficiet. Abiit ille et Virum Dei reperiens, ut sui misereatur implorat, humillimus Servus Christi se peccatorem asserens ista refugit: tandem studentem ad portam conventus lacrymantem usque deduxit deprecantem, ut super caput ejus manum imponeret, manum super caput illius Vir Dei imposuit, imploransque dixit: Deus, qui te creavit, ipse te sanet. Quo facto, ostium Viri Dei clausit et Juvenis sanum se esse persensit.

27 Venerabilis vir Fr. Hieronymus de Genua dignus prædicator, dum in civitate quadam, cujus nomen conticere libet, contra gubernatorem vehementius prædicasset, irati præsidem eundem evocaverunt, qui expavescens Virum Dei accersit rogavitque, ut pro se Dominum precaretur, qui illum his verbis propheticiis exhortatus est: Jucundius eat paternitas vestra, non confusionem, sed honorem habitura: reperiens siquidem dominos omnes residentes, qui, ut vestram intuebuntur præsentiam, illico consurgent omnes grandique te prosequantur honore, primum residenti locum tribuentes; sic paternitas vestra ad singula respondendo honorem Deo ac religioni acquirat. Abiit prædicator, et cuncta, prout Vir Dei prædixit prophetico spiritu, evenere.

28 Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum

Presbyterum gravi morbo laborantem.

E sororemque ejus febriçntem et alium sgrum sanat.

F

Futura prædicit.

Ecclesie Sacramentis munus plerumque moritur.

ctorum ejus e. Post longa diurtinaque virtutum exercitia tempus advenit, quo Virum Dei ad cœlestia Dominus evocaret. Correptus itaque acutissima febre infirmario illud Apostolicum dixit: Ego enim jam delibor et tempus meae resolutionis instat *f*. Confessionem generalem fecit cum referendo P. Fr. Vincentio de Castro-Novo sacrae Theologiae Magistro, qui postmodum fuit totius Ordinis nostri generalis magister, tunc priore conventus Bononiensis, Sacramentisque Ecclesiae devote susceptis, pedes ac manus in modum Crucis pauxillum componens oransque spiritum Deo reddidit. Nec dubium, quin Angelorum caterva ad cœlestem patriam sit deductus. Fuit autem felix transitus ejus die Mercurii circa quintam noctis horam, *g* *h* *h* mensis Octobris anno D. mcccxcxi. Frater Dionysius de Bellano tunc studens Bononiæ, cum gravem pateretur infirmitatem *h*, quia in choro cantare et prædicationis officium exercere prohibebatur, Virum Dei in extremis laborantem enixius rogavit, ut, si celesti gloria eum Dominus sublimaret, sanitatem sibi impetraret. Illo itaque decedente, frater ipse corpus Defuncti amplectens clamare non cessabat: Imple, Pater, quod promisisti, me tuis sana precibus; nec umquam a corpore avelli potuit, donec plenam assecutus est sanitatem. Ferunt fratres, qui aderant, faciem Viri Dei, quæ pallida mortis horrore fuerat, post mortem aliquantulum rubuisse, corpus exanime mentis felicitatem indicasse.

Sacrum ipsius corpus propter ingentem concursum e priorum sepultura loco

29 Antiquæ consuetudinis erat fratres in quodam cœmeterio sepelire, in quo et B. Dominicus primo sepultus fuit; in hoc igitur cœmeterio plerique magnæ sanctitatis viri sepulti fuere, quorum corpora ignorantur. Hæc itaque advertens R. P. prior atque antiquiores patres decreverunt, ut Virum, qui singulari vita præfulsit, particulari sepulchro decorarent. Verum, dum in ecclesia corpus jaceret, tantus concursus factus est populi, ut omnes mirarentur. Conabantur omnes illud osculari, annulis atque coronis ipsum contingentes. Inter cæteros autem quidam puer trium annorum, quantum valebat, corpus attingere conabatur, domumque reversas matrem hortatur, ut ad illud videndum quantocius properaret; admirans mater infantuli verba, qui vix dimidium proferre noverat, ad ecclesiam B. Dominici pervenit, corpusque insepultum reprensit, infantuli verba fratribus enarravit; decebat namque, ut purissimus Dei Servus infantis purissimi verbis efferretur. Traditus est tandem sepulture in capella quadam, quæ erat in capitulo majori conventus Bononiensis in deposito super terram.

ad ecclesiam monasterii transferatur.

30 Mente animoque cogitantes prior et patres conventus multitudinem virorum ac mulierum, quas in claustrum Ordinis ingredi non licet, confluentium ad Viri Dei sepulchrum et fratrum quietem perturbantium, sano consilio sanxere, corpus ejus aliunde * transferre; sed prius D. episcopi Bononiensis consilium atque consensum expetierunt, quo annuente, octavo die ab obitu ejus translatus est corpus in ecclesiam in capellam D. Thomæ Aquinatis, ubi cereis atque tabellis et imaginibus circumquaque appensis venerabiliter usque adhuc jacet. Cum autem transferretur, repertum est corpus ejus sanum nullumque omnino fetorem

* l. alio

emanans *. Quanta autem Dominus per eum operatus est, testantur cerei, tabellæ et argentea membra circa sepulchrum ejus appensa, quorum aliqua in sequentibus declarantur. Majora autem credimus illum præbiturum his, qui ex toto corde ipsum invocaverint. Cumque morbo pestilentiae laborantibus hic Servus Dei semper deservierit, ad impetrandam ab eo morbo liberationem populis peculiare donum eum habere experimento compertum est.

A. Fr. Ambrosino de Sorcino. l. emittens

ANNOTATA.

- a Psalmo 69, v. 1.
b Vide, quæ habentur in fine capitis præcedentis.
c Apocalypsis cap. 2, v. 10.
d Psalmo 26, v. 14.
e Psalmo 115, v. 15.
f Epist. 2 ad Timoth. cap. 4, v. 6.
g Vide Commentarium Prævium.
h Flaminius citato loco, dum de Dionysio de Bellano infirmitate loquitur, hæc habet: E Fratri Dionysio, cui intestina fluebant.

CAPUT V.

Miracula post mortem patrata.

Quamquam admiranda multa hujus Servi sui meritis Dominus operatus sit, ex multis tamen pauca referam, quæ ad me discipulum suum pervenere. Quidam civis ac mercator Bononiensis filium habebat, qui gravi morbo correptus jam signa amissæ vitæ præferebat, necnon quam plures mortuum judicabant. Hic igitur civis hujus Viri audiens magnalia, votum vovit Domino dicens: Domine Deus, si filium meum vitæ pristinae meritis B. Jacobi reddideris, illi habitum FF. Prædicatorum me induiturum devoeo. Mira res: puer reviviscens oculos aperuit ac veluti a somno evigilans incolumis omnino repertus est. Quapropter pater vehementer factum admirans, tabellam ad ejus sepulchrum appendit, ubi mater filium gestans conspicitur, in qua hæc verba conscripta sunt: Puerulus hic mortuus erat et meritis B. Jacobi resurrexit.

infans, voto a parentibus emisso,

32 Quædam Bononiensis mulier, receptis Ecclesie Sacramentis, ita in extremis laborabat, ut eam complures cum candelis accensis veluti mortua circumdarent, sed emisso voto a quodam eorum, qui aderant, si ipsam Deus B. Jacobi meritis liberaret, quod ad sepulchrum ejus imaginem pariformis longitudinis appenderet, statim mulier caput erigens, ait: Gratias Deo, quia vitæ restituta sum meritis B. Jacobi, qui mortuus est et sepultus apud S. Dominicum. Qua de re parentes vehementer admirati Prædicatorem Ordinis nostri adierunt illum rogantes, ut tantum miraculum populo aperire dignaretur. Non annuit prædicator, nisi mulier sanata una cum cæteris, qui præsentibus exstiterunt, advenirent. His igitur prædicatorem adeuntibus, populo miraculum divulgatum est.

mulier,

33 Venerabilis P. F. Hieronymus de Bononia, dum prædicaret Bononiæ hujus beati Viri miracula

item juvenis a morte liberatur.

A. Fr. AMBROSINO DE SONCINO.

miracula, quidam civis Bononiensis sermoni forte intererat, hic unicum domi filium in extremis laborantem dereliquerat; audiens igitur tanta tamque admiranda dominum Servi sui meritis agere, ad sepulcrum ejus accessit rogans, ut in testimonium sanctitatis suae filio suo salutem a domino impetraret. Oratione finita, domum rediit filiumque incolumem reperit; perfectae autem sanitatis indicium tentans, una cum filio eadem fere hora cibum sumpsit sicque magno cum gaudio sacristae conventus S. Dominici atque quam pluribus aliis miraculum propalavit.

Prior quidam Ordinis S. Dominici

34 Venerabilis P. Fr. Bartholomaeus de Genua *a*, Ordinis Prædicatorum in conventu Genuesi S. Mariæ de Castello tunc prior, cum apud Bononiam devenisset, febribus vehementer aestuare cœpit, morbo igitur in dies crescente, socius ejusdem eidem dixit: Pater venerande, credo, paternitatem vestram audivisse, quanta dominus B. Jacobi meritis ostendat mirabilia, non igitur dubitaverim, si ad eum toto corde recurras, quin sanitatem paternitas vestra B assequatur. Quo respondente: Me Deo commendatum facio orans, ut B. Jacobi meritis mihi valetudinem concedat ad animæ meae salutem. Illico ad sepulcrum Viri Dei accessit socius hæc eadem deprecans; revertente igitur illo ad infirmariam *b*, priorem suum mirabiliter convalescere reperit atque infra paucos dies sospes Genuam rediit.

et puella febribus, mulier gravi morbo,

35 Quidam civis Bononiensis pro sorore sua, quæ febribus et dolore capitis laborabat, B. Jacobum oravit illamque eidem commendavit et domum revertens plene ipsam convalescere invenit. Alius quidam Bononiensis civis, dictus Andreas Lardarolus, cum filiam in mortis articulo haberet constitutam, una cum uxore sua vovit se statum ceream facturum, si filia sanitatem consequi valeret meritis B. Jacobi. Eodem igitur die, filia convalescente, in signum miraculi statum ad ejus sepulcrum mox appendit. Mulier quædam, Adriana nomine, antiquissima ultra centum annorum, longa atque molesta infirmitate laborans, ad tactum sepulcri Viri Dei illico ab infirmitate liberata est.

item alia capitis dolore, alii tres febribus,

C 36 Quædam nobilis mulier Bononiensis, intolerabili capitis dolore per quatuor menses excruciatâ, medicos non reperiens, quæi prædesse valeret, ad B. Jacobi suffragia recurrens illico e lecto incolumis surrexit. Fr. Paulus de Bohemia, cum in conventu Bononiensi anno D. 1499 acutissima febre laboraret, timensque summopere, maxime propter dolorem capitis assiduum, quo jam per decennium laboraverat, ad B. Jacobi suffragia confugiens statim a febre et capitis dolore liberatus est. Fr. Vincentius de Soncino Ordinis Prædicatorum, qui B. Jacobo, dum adhuc viveret, multum familiaris erat illumque in brachiis tenebat, quando ex hac luce migravit, dum maxima febre laborabat, ad B. Jacobi merita confugiens, eadem hora incolumitatem recepit. Hujus rei ego testis sum et multi fratres mecum præsentem.

liberantur. Mulier contracta, alius gravi morbo laborans sanantur.

37 Quidam, dictus Masacarius de S. Georgio, comitatus Bononiensis, acutissima febre laborans, illico, ut B. Jacobo se commendavit, convaleuit. Mulieris cujusdam Bononiensis, quodam terrore sibi superveniente, membra omnia contracta sunt, sed cum ad B. Jacobi præsidia confugisset, illico lux magna ei apparuit, quæ eidem et terrorem expulit et sanitatem resti-

tuit *c*. Mediolani, cum quidam nobilis civis D gravi detentus infirmitate audiret B. Jacobum Bononiæ tam mirifica operari, voto quodam emisso, ad invocationem ejusdem plene convaleuit, qui duos aureos per reverendum P. Fr. Vincentium de Castro-Novo, de quo supra mentio facta est, tunc priorem conventus S. Mariæ Gratiarum, mihi ad sepulcrum B. Jacobi exorandum Bononiæ transmittendos obtulit.

38 Nobilis quædam mulier Bononiensis, uxor capitanei justitiæ *d*, Mediolani jam per tres annos contractas habens tibus, cum venerabilem P. Fr. Hieronymum Bononiensem audiret de miraculis B. Jacobi prædicantem, ad ipsum B. Jacobum confugiens, quatenus suis precibus sibi Dominus tibiurum sanitatem restitueret, oravit, et, oratione finita, statim convaleuit. Hoc idem retulit venerabilis prædicator Fr. Hieronymus de Bononia antedictus. Civis quidam Bononiensis filium habens morbo quodam, qui vulgo malum lapidis *e* dicitur, laborantem, ubi ad sepulcrum B. Jacobi pro salute oravit, plene fuit liberatus. Apud Muranum oppidum non longe a civitate Venetiarum *f* in conventu, sive ecclesia conventus, post mortem Viri Dei, fratres Ordinis nostri ejus imaginem ante chorum statuerunt, quam, cum quidam clericus Venetus intuens a fratribus, cujus esset, didicisset, tantam fidem erga Virum Dei concepit, quod ad ejus suffragia recurrens a dolore capitis, quo continuo laborabat, propter quod phrenesim etiam pertimescebat, ad plenum liberatus est posuitque ceurem in loco antedicto in signum miraculi.

Mulier pedum usum, aliquæ

39 Quidam civis Bononiensis filium gravissime ægotantem habebat, pro quo ad sepulcrum B. Jacobi devotius orans liberatus fuit, de quo medici timebant anno Domini 1493. Apud Bononiam monialis quædam Ordinis nostri, voto emisso, meritis B. Jacobi a dolore capitis, quo per triennium laboraverat, ad plenum convaleuit. Mulier quædam Bononiensis, per dies partus doloribus agitata, obstetrice hortante, ad B. Jacobum confugit, quæ pulcherrimum filium edidit; cum autem e lecto surrexit, primo itinere ecclesiam B. Dominici adiit, votum, quod voverat, B. Jacobo referens. Hoc idem alteri evenit, ut illa et quam plures alia matronæ, quæ aderant, retulerunt. Alter quidam, Calcaresius dictus, cum cæcus esset, facto voto, B. Jacobi meritis illico sibi videndi facultas restituta est, atque ita ut minima quæque, ut ipse referebat, conspiceret. Alter etiam ob horem ad oculos descendentem visum se perdidisse arbitrans B. Jacobi meritis, cui se devote voverat, ad plenum liberatus est. Mutinæ *g* cum quidam civis, qui usquequaque cæcus erat, admiranda audiret hujus beati Viri, voto emisso, intra paucos dies visum recepit, qui Bononiam contendens duos oculos argenteos ad sepulcrum Viri obtulit, quos se oblaturum, si sospes efficeretur, deoverat. Quidam calcis artifex, qui oculum ita calce oppleverat, ut per multos dies nil inde prorsus cerneret, ad B. Jacobi sepulcrum proficiscitur, priusquam templum ingrediatur, depulsis tenebris, visum recepit.

Ancilla brachii et viri linguae usu destituti, quidam hydroptici,

40 Ancilla matronæ cujusdam Bononiensis brachium diu invalidum ac inutile habuerat, ad sepulcrum viri Dei B. Jacobi veniens, illique brachium superponens, statim incolumis effecta est. Quidam civis Bononiensis ita in lingua ægotabat

A agrotabat, ut vix cibum capere valeret, nil medicis aut medicinis proficientibus, B. Jacobo vovit, quod, si ejus meritissalutem assequeretur, linguam argenteam in miraculi fidem illi offerret; mane itaque sequenti incolumem se usquequaquecomperiens, linguamargenteam fieri fecit et ad sepulcrum B. Jacobi, ut voverat, devote obtulit. Hydropicus quidam B. Jacobo vovens, quod, si ejus precibus sanus efficeretur, Missam ad Dei et sui honorem celebrare faceret, atque ad ejus sepulcrum cereum unius libræ offerret, infra dies quatuor incolumitatem recepit votumque suum quam cito adimplevit.

41 Alius quidam ad sepulcrum B. Jacobi imaginem obtulit, in qua scriptum hujusmodi legitur: Ego Joannes per quatuor annos morbo Gallico laboravi, atque hoc in loco vovens ad plenum convalui meritis et intercessione B. Jacobi.

42 Non solum in creaturis rationalibus, sed etiam irrationalibus hujus Viri Dei virtus effulsit: nam Fr. Stephanus, conversus Ordinis Prædicatorum, cum Bononiam mulæ insidens advenisset, ut prædicatorem quemdam Placentiam h secum deduceret, mula antedicta ita laborare cepit, ut ad terram se prosternens moritura videretur; advocatur quidam, qui hujuscemodi mederi consueverat, qui mulam intuens, eandem mortuam indicavit; tristatur frater vehementer atque ad sepulcrum Viri Dei accedens, ut jumentis sanitatem conferat, devotius exposcit, expleta oratione, mulam visitans eandem jam pene mortuam aspexit. Verum

eadem nocte dormientem fratrem vox quædam excitavit, dicens: Surge, frater Stephane, et pabulum mulæ affer, qui illico surgens jumentum incolume adinvenit. Sicque B. Jacobo gratias referens, Placentiam lætus repedavit. Quam plura itidem Dominus Servi sui meritis præmonstravit mirifica, quæ, si enarrare vellem, altius volumen exresceret; igitur huic Vitæ finem imponens, omnes hortor, quatenus tanti Viri vestigia sectari conentur, sicque ad caelestem patriam ejus suffragantibus meritis conscendant.

A. Fr. AMBROSINO DE SOCCINO.

ANNOTATA.

a Genua urbs est Liguriæ in Gallia Cisalpina et ejusdem nominis Reipublicæ caput.

b Vox hæc valetudinarium significat.

c Urbs Italiæ archiepiscopalis et ducatus Mediolanensis primaria.

d Id est, justitiæ exercitio præfecti.

e Ita auctor calculorum valetudinem significat.

f Urbs perampla et culta Italiæ, reipublicæ cognominis ab ea dictæ caput.

g Urbs Italiæ ampla, in Longobardia, ejusdem nominis ducatus primaria et episcopalis, inter Scuttenam et Secciam fluvios.

h Urbs Italiæ in Longobardia episcopalis, ejusdem nominis ducatus caput sub dominio Parmensis ducis, ad Padi et Trebiæ confluentem.

DE B. MARTINO CONFESSORE

EX ORDINE S. AUGUSTINI

VERCELLIS IN ITALIA

SYLLOGE

C

ANNO CIRCA
MDIII
Beatus, qui
centum annis
ante Urbani
VIII decreta,
Servi Dei

Vercellis, episcopali in Pedemontano Italiæ principatu, quæ jam plus semel memorata apud nos fuit, civitate, natus est ac denatus, uti inter scriptores omnes, de re locutos, convenit, beatus hic propositus ex Ordine S. Augustini Confessor. Hunc hodierna, qua ex allegandis obiit, die Operi nostro inserendum, decessores nostri, ad xx Maii diem in Prætermisssis sermonem de Jacobino seu Jacobo Cravacorio, fratre Carmelita laico, qui non secus atque ille Vercellis jacet sepultus, instituentes, spondere, estque ex instituti nostri ratione, ut fidem, abs illis datam, hic liberemus, necesse. Etsi enim Martinus nec Fastis sacris exstet inscriptus, nec Officio ecclesiastico Vercellis aut alibi colatur, a scriptoribus tamen via non omnibus, a quibus memoratur, Beati titulo, uti Ordinis Augustiniani scriptor Thomas de Herrera, qui non pauca de illo in Alphabeto Octobris Tomus V.

Augustiniano, anno 1644 in lucem emisso, tom. 2, pag. 57 et seq. memoriæ prodit, ibidem affirmat, condecoratur. Adhæc tam a Joanne Stephano Ferrerio in diæcesis Vercellensis, quam a Josepho Pamphilo Augustiniano in Ordinis sui Beatorum Catalogo collocatur, et, quod caput est, qualicumque etiam cultu, Sanctis ac Beatis deferri solito, Vercellis gaudet, imo vero et ante annum 1634, post quem, spectatis, quæ tum juxta ac anno 1625 Urbanus VIII ea de re tulit, decretis, Servos Dei, Sanctorum Beatorumve Albo ad Ecclesia nondum adscriptos, cultu hisce proprio, nisi hoc antea centum amplius annis fuissent affecti, venerari nefas fuit, haud minori, quam quod annorum totidem metam excedit, temporis spatio non interrupte fuit gavisus, uti e jam nunc dicendis nemo non, quantum opinor, facile agnoscat.

2. Papebrochius noster in Ms. penes nos
103 exstante,

C. B.

F